



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1713

Articulus I. Quæ requiratur in eo dispositio animæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42545

est laico ebibere sacrum Calicem, si hæretici in templum irruerent, & Sacerdos ab altari abscurreret, *Suar. Gob. n. 26.* Dixi, in Ecclesia latine, nam in græca adhuc faciunt per consuetudinem, *Arcud. l. 3. c. 50.* uti & Rex Galliz per privilegium Papæ; qui posset concedere etiam aliis laicis, secundùm dicenda n. 602.

510. §. 2. Si quis unâ die bis celebret, & quia secundâ vice celebrabit alio loco, ablationem ex prima Missa det laico communicanti, peccat graviter, tam Sacerdos quàm laicus; *Lugo* supra, agunt enim contra consuetudinem universalem Latinæ Ecclesiæ: itaque vel mittat in sacram piscinam, vel purificatorio imbibitum faciat siccari, vel potius asservet, ut aliâ die ipse vel alius sumat in Missa. Putat quidem *Gob. n. 23.* illos probabiliter excusari à peccato, quia licet remaneant guttulæ consecratæ, has tamen sumere cum vino, propriè non est communicare sub specie vini: sed standum est in sententia *Lugonis.* An licitum sit sumere species vini pro Viatico, si desit hostia, dicetur n. 611.

DUBIUM II.

De subiecto, seu suscipiente Eucharistiam.

ARTICULUS I.

Quæ requiratur in eo dispositio animæ.

511. **R**Esp. Qui est in mortali, tenetur sub mortali ante sumptionem Eucharistiæ confiteri, nisi sit necessitas celebrandi vel communicandi, & Confessarius desit. Ita *Trid. sess. 13. c. 7.* & *Can. 11.* ubi contrarium docentes excommunicantur de

de facto. Fundatur autem in illo Corinth. Pro-
bet autem seipsum homo, &c. Et parùm refert ad
praxin, utrùm tantùm sit præceptum ecclētia-
sticum an tantùm divinum, quod est probabi-
lius, ut docet Suar. Fill. & alii commun.

Dixi I. In peccato mortali, tum quia Eucharistia
delet venialia, ex opere operato: tum quia ve-
nialia, (esto comitentur, imò reddant venialiter
malam ipsam sumptionem) non ponunt obi-
cem gratiæ sanctificanti. Quod si tamen multa
sint, & intra genus suum gravia, de quibus nulla
pœnitentiæ concipitur, actualem devotionem
& fructum majorem impediunt. Suar. Lay. & alii,
Unde resolves

I. Qui dubitat, an peccarit mortaliter, vel an
mortale sit rite confessus, tenetur ante Commu-
nionem confiteri. Ita Bon. d. 4. q. 6. p. 1. ex Sanch.
Regin. Suar. & aliis.

Dixi II. Nisi sit necessitas (non quæcunque, v.g.
festi celebritas vel magna devotio, ut quidam
volunt) sed gravis sive urgens, qualis esse cense-
tur in sequentibus casibus, præmissâ tamen
semper contritione, ad quam tunc teneris, nisi
de peccato, quod occurrit, fueris antè contri-
tus, Præp. Cardin. de Lug. d. 14. n. 122.

I. Periculum mortis, vel ut consecretur ho-
stia pro morituro. Suar. Kon. Lug. n. 107.

II. Si Sacrificium, vel Communio non possit
omitti absque gravi infamia vel scandalo. li-
dem Auth.

III. Si Parochus debeat celebrare ex officio,
ut populus Sacrum audiat. lb. Ob quam causam
etiam alteri, qui non est Parochus, id licere pu-
tat Dia. cum aliis n. p. 9. r. 3. R. 9. contra Palau

»*ir. 21 disp. unic. pu. 12. n. 7. in fine. Aversam, &c.*

» IV. Si urgeat præceptum de annua Communione, ut docet *Henr. & probabile putat Præp. vel si Sacerdos non possit audire Missam, nisi celebret, ut habet Henr. & Sotus, Dian. R. 63. & 64. nec improbat Lug. l. c. Probabilius tamen videntur docere Kon. Sa, Suar. & alii, cessante scandalo & infamiâ, præstare tunc Sacrum, & Communionem etiam Paschalem intermittere, eò quòd hæc præcepta non obligent, quando non possunt impleri convenienter juri divino.*

» V. Si Sacerdos post consecrationem committat mortale, vel antè commissi recorderur, tenetur elicitâ contritione, Sacrificium prosequi. Si verò id fiat ante consecrationem, & præsertim ante Canonem, debet confiteri, si absque nota infamiz potest, vel recedere, ut docet *Sylv. Navar. Dian. & alii, contra Sotum & Henric. qui negat teneri, ob honorem Sacrificii; putatque practicè esse probabile Layman & Bonac. eò quòd vix sine omni nota, Confessio decenter fieri possit: nisi fortè in Missa solenni, sub casu vel concions: quo casu tenebitur confiteri, ut notat Sylv. Quòd si verò nec contritionem possit elicere, secundùm communem sententiam esset confitendum, vel desistendum, licet Vasq. in 3. p. tom. 3. d. 17. & Hurt. de Euchar. d. 8. putent probabile esse saltem non peccatum mortaliter, quando non potest sine nota recedere, intellige, si conatus sit elicere, vel fecit, quod potuit. V. Dian. p. 4. t. 4 R. 98. Lug. d. 9. n. 8. ubi idem docet. Notat autem Dian. ex Præp. satis esse, si quis bonâ fide putet se esse contritum, licèt subdubitet.*

VI. Si in scamno communicantium recor-
deris peccati mortalis, quod oblitus es confi-
teri, nec sine nota, aut scandalo gravi possis re-
cedere, ut habet *Nav. Filius. Regim. Lugo num. 12.*
& alii: porrigenti autem Eucharistiam confite-
ri non expedit, nec decet, quo casu etiamsi ne-
quidem possis elicere contritionem, excusat à
peccato, *Hurt. l. c.* Imò quidam DD. apud *Hen-
riq.* excusant laicum antè confessum, etiamsi
præcisâ notâ & scandalo, non recedentem, eò
quod is dicatur justificatus, & probatus per
Confessionem: quam sententiam probat *Tamb.
de expedita Commun. cap. 1. §. 8.* potestque servire
pro scrupulosis. *Vid. Regim. l. 29. n. 105. Bon. d. 4.
p. 10. Escob. t. 7. c. 6.*

Dixi III. *Et desit Confessarius*: deesse autem cen-
setur, non ut quidam volunt, si absit is, cui solet
& cuperet confiteri, vel cui devotius aut utilius
confiteretur: neque, etsi Religiosus non possit
nisi sæculari confiteri peccata gravia, cum ali-
qua infamia Religionis, *Amicus, Dian. p. 9. t. 3. R.
13.* sed in sequentibus casibus:

I. Si nullus sit præsens; ad absentem verò sine
magna difficultate, (spectatâ tum debilitate, x-
tate, & negotiis personæ, tum aliis circumstan-
tiis, ut æris, brevitatis temporis) adire non
possis. *Bon. n. 30. ex Suar. Kon. &c.*

II. Si non adsit nisi ignarus idiomatis, vel ca-
rens jurisdictione, vel excommunicatus, vel
non approbatus, vel cui non possis confiteri si-
ne gravi damno tuo vel alieno; vel si habeas
peccatum tantum reservatum, nec pateat adi-
tus ad Superiorem; vel Superior semel iterumq;
per pium Confessarium rogatus negaverit po-

restitat absolventi, Tamb. §. 6. ex Fag. Limitat
autem Dian. R. 15. si absque gravi nota præter-
mittere non possis, Ita Sylv. & alii. Requiritur
tamen in his etiam casibus contritio & pro-
positum confitendi; imò ex præcepto Trid. Sa-
cerdes, qui in tali casu celebravit, tenetur pri-
mâ occasione confiteri: Quod præceptum ex-
tendendum non videtur ad laicos, vel Sacer-
dotes communicantes tantùm, ut contra Na-
var. & Fagund. docet Sylv. Dian. & Bon. q. 6. p. 1.

A D D E N D A.

512. Q. 103. Quot modis sumi possit Eucharistia. R.
Præcipuè tribus: 1. Purè materialiter, ut etiam
sumere possunt bestie: Et simili modo sume-
rent homines extra statum viæ constituti, se-
cundùm dicta n. 164., item non baptizati, ut
n. 165. dictum est. 2. Sacramentaliter, si homo
viator & baptizatus ore sumat & in stomachum
demittat. Potèstque hoc fieri, vel cum fructu, si
sumat dignè, & tum dicitur sumere etiam spiri-
tualiter; vel sine fructu, si sumat indignè, & tum
sumet purè sacramentaliter. 3. Purè spirituali-
ter, si vivâ fide excitatus desideret hoc Sacra-
mentum dignè suscipere, Trid. sess. 13. c. 8. S.
Th. q. 80. a. 1. & 2. Putavit autem Ledesma hæc
spiritualem Communionem causare gratiam
majorem, quàm quæ respondeat operi ope-
rantis, sed hanc sententiam vocat falsam &
improbabilem Suar. d. 61. f. 1., quia Deus
nullibi hoc promisit, neque ullum Sacramen-
tum habet talem modum operandi, ut pro-
pter solum desiderium causet gratiam ex o-
pere operato. Lugo d. 13. n. 2. Avers. q. 8. f. 1.
Vide-

Videri potest etiam Rayn. in Heteroel. spirit.
Tom. 16. f. 1. p. 3. pu. 6.

Q. 104. Quid addendum sit circa dispositiones 513.
animæ ad Eucharistiam Sacramentaliter recipiendam.
R. seqq.

§. 1. Adultus, aut qui aliquando fuit com-
pos rationis, debet habere intentionem saltem
habitualement, vel interpretativam suscipiendi hoc
Sacramentum, secundum dicta n. 170.

§. 2. Prærequiritur immunitas non tantum 514.
ab omni censura prohibente usum passivum Sa-
cramentorum, sed etiam ab omni peccato mor-
tali, quod postremum de fide esse docent Suar.
d. 66. f. 1. Lugo d. 14. f. 1. Dicast. d. 9. dub. 1.
contra hæreticos n. 411. relatos: itaque peccat
mortaliter, per se loquendo, qui Eucharistiam
in mortali suscipit, S. Th. q. 80. a. 4. & sequitur
ex dictis. n. 194., ubi addidi, aliquem per acci-
dens excusari posse, v. g. si sumat Eucharistiam,
ne turpius profanetur ab hæreticis, & alii casus
excusantes addentur n. 517. & 536. Quod autem
Eucharistia cū obice suscepta reviviscat, saltem
si removeatur obex, antequam Species sint con-
sumptæ, dixi n. 200.

§. 3. Impiæ indigne communicantis re- 515.
ctè explicat Rayn. in Candel. f. 6. c. 3., ubi à n.
13. comparat Judæ, quem communicasse in
peccato docent S. Th. q. 81. a. 2. & alii communis-
simè cum Dicast. dub. 20. contra Turr. Docet ta-
men S. Thom. q. 80. a. 5. & rectè explicat Suar. f.
1. peccatum indigne communicantis non esse
omnium gravissimum, nam graviora sunt, quæ
directè contra Deum committuntur; potèstque
etiam de hoc videri Dicast. dub. 2.

Y 5

§. 4.

516. §. 4. Ad vitandum mortale satis est, si quis sit in statu gratiæ, antequam hostia attingat stomachum, quia prius non est sumptio, secundum dicta n. 415., unde si sumpserit hostiam in ore, & tum advertat se non esse in statu gratiæ, debet, usquedum contritionem elicuerit, retinere hostiam in ore, *Gob. tr. 4. n. 327.* Imò recordans peccati mortalis vel peccans, quamdiu sumptæ species sunt præsentæ, tenetur conteri vel confiteri *Leand. n. 409.*
517. §. 5. Si quis jam accumbens scamæo communicantium non possit sine infamia vel scandalo recedere, & tamen simul agnoscat se non esse in gratia, neque etiam, quantumvis conatus sit, ob perturbationem mentis vel brevitatem temporis possit elicere contritionem, si communice, præter *Hurt.*, quem citat *Busenb.*, excusant eum saltem à mortali *Vasq. Oshag. Dian. Leand. n. 380. Lugo d. 14. n. 3.*, quia moralis necessitas tollit irreverentiam: *Dicast. d. 9. n. 6.* putat casum illum esse moraliter impossibilem, quia si conetur, gratia Dei non deerit, si tamen casus contingeret, videretur consentire.
518. §. 6. Si præmitti non possit confessio peccati mortalis, prærequiritur perfecta contritio de illo, saltem existimata, neque sufficit attritio, & ideo oppositam sententiam esse improbabilem, nec posse absque temeritatis nota doceri, putant *Suar. Tur. Averja q. 8. f. 7. §. Inprimis.* Sicque docetur ab omnibus Theologis, inquit *Lugo n. 11.* Ratio autem est, quia certum est per attritionem sine Sacramento non reddi gratiam, ergo talis certus esset se communicare in mortali, adeoque cum obice gratiæ, quod est mortale, secundum dicta n. 194. §. 7.

§. 7. Non prærequiritur expletio pœnitentiz à Confessario inunctæ , uti voluerunt quidam Lovaniensēs, hinc Alexander VIII. damnavit hanc 22. propositionem : *Sacrilegi sunt iudicandi , qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt , antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* Idem constat à Posteriori, nam si ante Communionem deberet esse satisfactum pro peccatis, Ecclesia malè prærequireret Communionem ad lucrandas indulgentias loco satisfactionis pro peccatis.

§. 8. Nec prærequiritur amor purissimus, uti etiam certum est contra aliquos Lovaniensēs, qui dixerunt hominem ante Communionem debere esse liberum etiam ab omni malo habitu, & habere amorem sinè ulla mixtione amoris imperfecti, sed Alex. VII. etiam damnavit hanc 23. prop. *Similiter arcendi sunt à sacra Communionē, quibus nondum inest amor Dei purissimus & omnis mixtionis expertus.* Eundem errorem eruditè confutat Rhod. d. 1. q. 4. f. 1. §. 3. Nec obstat S. Dionys. de Eccles. Hierarch. c. 3. prærequirens omnimodam corruptæ pravitatis expiationem, & quandam Deificationem hominis communicaturi, nam hæc consilii sunt, non præcepti. Liber audire S. Francis. Salesium p. 1. *Introducet. ad vitam devotam c. 21. Si mundani à te petant, cur tam sepe communices, dic eis, quòd id facias, ut Deum amare discas, ut te purges à tuis imperfectionibus, ut te liberes à tuis miseriis, ... ut confortes in tuis infirmitatibus: Dic eis, quòd duo hominum genera sepe communicare debeant, perfecti, quia omnino bene dispositi, injuriam facerent, si ad fontem perfectionis non accederent; & imperfecti, ut justè ad perfectionem prætere possint;*

sint; fortes, ut non infirmentur, infirmi, ut fortifcentur; aegroti, ut sanentur; sani, ne morbo corripiantur. Dic eis, quod hoc S. Sacramentum accipias, ut dignè suscipere discas, quia raro bene fit, in quo se raro quis exeret. In eundem sensum Dominica 23. post Pentecosten orat Ecclesia in postcommunione, ut quidquid in nostra mente vitiosum est, dono medicationis hujus Sacramenti, curetur.

511. §. 9. Non est opus, ut inter peccatum mortale commissum & Communionem intercedat longa mora temporis, si enim seridè pœniteat & confessus sit, nihil est, cur à Communione arceatur, *Suar. l. 8. Aversa q. 3. l. 5. §. ult. cum communi, contra multos antiquos. Consilii tamen est, possitque etiam esse veniale, si accedat paulò post peccatum, præsertim carnale externum, quia mens solet tunc nimidum esse perturbata, & affectus malè ordinatus. V. Moyam t. 1. tr. 4. q. 8. & Rayn. in Heterocl. spirit. Tomo 16. f. 1. p. 3. n. 41. 49.*

512. §. 10. Communior & probabilior sententia est, cum *S. Aug. Suar. Laym. Tann. Rhod. Lugo d. 4. l. 2. Aversa q. 7. l. 5. §. Præterea. Gob. t. 4. n. 219. contra Ledesm. Vasq. Sa, J. Sanch. d. 22. n. 9. Leand. n. 380., quorum sententiam Tambur. de Comm. c. 1. n. 11. & Dicast. d. 9. dub. 3. vocant probabilem, quòd is peccet peccato veniali specialis irreverentiæ, qui communicat cum veniali afficiente actum Communionis, v. g. cum actu vanæ gloriæ concomitante, cum voluntaria distractione, cum actuali complacentia in peccato veniali, nolens excludere peccatum veniale impediens devotionem &c., quia ratione ipsius Eucharistiæ redundat specialis indecentia in illud*

illud veniale concomitans, aut etiam in susceptionem ipsam Eucharistiae, nam sicuti est irreverentia, distrahi dum communicas, ita videtur irreverentia, communicare dum distraheris. Quod autem in susceptione Eucharistiae possit peccari tantum venialiter, optimè probat Lugo d. 15. s. 1. contra J. Sanch. Per veniale actuale autem non impediri collationem gratiae, rectè probat Rayn. n. 6.

§. 11. Ad effectum principale hujus Sacramenti non necessariò praequiritur fides actualis, uti dictum est n. 186.; nec actualis devotio, secundum dicta n. 193. Optima autem & maxime utilis devotio actualis consistit in actibus Fidei, Spei, Charitatis & aliarum virtutum supernaturalium: Estque id notandum, quod dixi l. 2. n. 6., hostiam consecratam esse absolute adorandam, supponendo pro certo, quod Christus sit in ea praesens, cum non sit prudens ratio hic & nunc dubitandi de valida consecratione: potestque de hoc videri etiam *Aversa* q. 9. s. 3. §. Sextò. Rectè autem notat *Arcud.* l. 3. à c. 19. usque ad 24., quamvis Graeci panem & vinum benedicant, antequam deferant ad aram, ut consecretur, tamen malè facere populum adorando hunc panem & vinum: Quomodo autem praeterea Christus in Eucharistia sit adorandus, & quomodo imago Christi sit magis adoranda quam talis panis aut vinum benedictum, rectè explicat c. 23.

§. 12. Probabile est Eucharistiam, quamdiu in stomacho est, causare plures gratias, si accedant meliores dispositiones, *Cajet. Gabr. Richard. Con. Regin. Suar. d. 63. l. 7. Valent. d. 6. q. 7. p. 1. Amic.*

523.

524.

*Amic. d. 25. f. 2. Lugo d. 12. à nu. 46. Aversa q. 7. f. 4. Leand. n. 409. Rhod. suprâ f. 2. §. 3. Bosio f. 7. Concl. 5. Gonet d. 8. nu. 37. contra Sot. Ledesm. Vasq. Henriq. Bonac. Rayn. f. 4. c. 4. nu. 4. Arr. d. 41. n. 9. Bernal d. 41. f. 1. §. 3. Dicast. d. 8. dub. 3. Esp. q. 69. ad 4. Maurum q. 103. n. 3. Castrop. p. 9. §. 1. n. 3. Suadetur 1. quia hæc opinio est magis pia, & conformior bonitati ac liberalitati Christi, qui non volet commorationem suam ibi otiosam esse, si subiectum melius disponatur. 2. Eadem opinio magis excitat devotionem, quam fideles intendent etiam ex spe majoris fructûs. 3. Et præcipue, quia Eucharistia, cum sit permanens, causat ad modum causarum naturalium, secundum dispositionem subiecti, ergo sicuti agens naturale, v. g. ignis pergit successivè plus producere caloris, si subiectum melius disponatur, ita pie sperare possumus de Eucharistia. *Conf.* nam *Conc. Florent.* in Decreto *Eugenii IV.* ad Armenos dicit, Eucharistiam operari quoad vitam spiritualem omnem effectum, quem materialis cibus quoad vitam agit corporalem, sed cibus corporalis ita successivè causat operationem suam secundum applicationem dispositionis, per quam digeritur, ergo. *Si dicas*, inde sequi, quod Eucharistia, licet nulla melior dispositio accedat, semper causet gratiam successivè, imò etiam quando desit, quia cibus corporalis semper nutrit successivè, & tum tantum quando desit, *contra est*, quod *Florent.* non afferat similitudinem adæquatam, sed quantum auctoritas & recta ratio dicere permittunt; ratio autem dissimilitudinis hæc est, quia nutritio corporalis invenit dispositiones contrarias, & requirit*

quirit successivas applicationes materiz alimenti ad diversas partes corporis alendi, hinc ipsa semper est successiva; ideo autem fit, quando cibus desit, quia ut cibus nutriat, debet converti in substantiam aliti, ergo debet desinere: utrumque oppositum est in Eucharistia, quæ apud dignè suscipientem non invenit contrarium, & cum primùm stomachum attingit, jam applicata est, quantum secundùm præsentem dispositionem applicari potest; denique ipsa non debet converti, sed potius debet in se convertere hominem, ergo ipsa non debet semper causare successive, multò minùs, quando desit.

Obji. 1. Reliqua Sacramenta causant tantùm in usu, ergo etiam Eucharistia. *R. n. seq.* reliqua Sacramenta consistunt in ipso usu, Eucharistia non includit usum, & quamvis prærequirat tanquam conditionem, ut causet, tamen virtus causativa manet post usum, & causat, non ratione usus, sed ratione rei per usum acceptæ & post usum permanentis. 525.

Inst. Soli manducationi præsentis promittit Christus gratiam, Joannis 6. v. 55. qui manducat &c. *R. n. aff.*, nam etiam v. 52. dicit, Si quis manducaverit &c. Itaque ponitur præsens, quamvis conveniat etiam præterito, sicuti sumentis medicinam promittitur sanitas, non ideo causanda, quando sumptio præsens est, sed communiter quando est præterita.

Obji. 2. Si successive causatur major gratia adveniente dispositione meliore, ergo contiaud semper causabitur major gratia, quia Sacramentum primo instanti causat gratiam, adeòq; reddit subjectum meliùs dispositum, ut sequente instante 526.

stante

- stante causetur major gratia, & ita consequenter. *R. n. seq.*, quia per dispositionem intelligitur aliquid, quod homo hic & nunc habet independenter ab hoc Sacramento. *Lugo n. 50. Amic. n. 31.*
527. *Obji. 3.* Ergo sacrilegus erit, qui post dignam sumptionem, Christo adhuc praesente peccabit mortaliter, quia ponet obicem alteri effectui Sacramenti. *R. 1. Suar. concedit seq.*, dicens per hoc fieri specialem injuriam Christo, quod Sacramentum impediatur, quo minus possit esse verum signum gratiae amplioris. Si tamen aliquis antè sumpserit indignè, & in malo statu perseveret, rectè dicit *Suar.* esse tantum aggravationem ejusdem moraliter sacrilegii; adhuc tamen tenebitur conteri, ut Sacramentum habere possit suum effectum gratiae, antequam desinat. *R. 2. Lugo n. 59. negat seq.*, quia non ponit obicem primario effectui Sacramenti, sed tantum incremento gratiae, quod non tenebatur procurare, ergo sicuti non peccat, qui non ponit meliorem dispositionem, ita nec qui tum peccabit.
528. §. 13. Non est opus, ut posteriores actus virtutum, qui dicuntur facere dispositionem meliorem, fiat intensiores prioribus, hoc ipso enim, quod actus etiam remissior accedat ad alium actum priorem, hi duo melius disponunt subjectum, quam unus tantum eorum; imò rectè notat *Lugo n. 54.* longiorem continuationem ejusdem actus esse dispositionem meliorem, sicuti enim melius ad gratiam dispositus esset, qui ante Communionem actum charitatis continuasset per integrum quadrantem, quam qui tantum per medium, ita etiam qui post Communionem, supposito, quod Christus per quadrantem maneat in Romacho praesens. §. 14.

§. 14. Si quis in susceptione primarum spe- 529.
 cierum fuisset remissè dispositus, & in susce-
 ptione ultimæ esset perfectius dispositus, acci-
 peret novam gratiam, respondentem huic po-
 stremæ dispositioni, uti cum communiore ha-
 bet *Escobar* l. 20. n. 479. Deinde *Castrop.* p. 9.
 §. 1. n. 6. dicit esse certum, docentque etiam alii
 communiter cum *Escob.* n. 476., si quis indignè
 sumpsisset primas partes, & postea contritus sus-
 ciperet ultimam, accepturum esse gratiam in
 sumptione ultimæ partis, quia tum est digna
 sumptio. *Nec obstat*, sumptionem primam & se-
 cundam esse unam moraliter, & esse simpliciter
 indignam, nam gratia non causatur per sumptio-
 nem, sed per Sacramentum, quando jam desit
 moraliter & retractata est indigna sumptio, & è
 contrà successit digna sumptio ultimæ partis.

§. 15. Si plures partes ejusdem speciei su- 530.
 mauntur successivè & in eadem dispositione, in
 sumptione primæ partis causatur totus effectus
 gratiæ, uti tenent *S. Th.* q. 79. a. 7. ad 3. *Suar.* d.
 63. f. 5. *Rayn.* f. 4. c. 4. n. 15. aliique communissi-
 mè, quia est tantum unicum Sacramentum, nec
 est ratio dicendi, quòd effectus suspendatur usq;
 ad adventum alterius sumptionis contingenter
 eventuræ; neque etiam causa est, cur augeatur,
 cum sumptio primæ partis applicarit totam vir-
 tutem causativam; neque accedat melior dispo-
 sitio.

Obji. Gratia in extrema Unctione non causa- 531.
 tur, nisi quando completur ultima unctio, uti
 habet *S. Thom.* in supplem. q. 30. a. 1. ad 3., er-
 go etiam in Eucharistia, quando completur to-
 ta sumptio. *R.* dato ant. n. conseq. *S. Thom.* pu-
 tat

rat singulas Unctiones esse de essentia extremæ Unctionis, ideoque non existere ullâ ratione hoc Sacramentum, nisi jam posita sit ultima unctio: oppositum est in Eucharistia, nam nulla sumptio est de essentia Eucharistiæ, quæ tota existit ante & post sumptionem; prima autem sumptio sufficienter applicat Eucharistiæ. Dixi, dato antec. nam valde probabile est cum *Con. Laym. Dicen. p. 3. t. 4. R. 168.*, quamvis singulorum sensuum unctiones non sint integrum & completum Sacramentum extremæ Unctionis, attamen esse quasi incompleta Sacramenta, ad similem modum, quo singuli Ordines sunt Sacramentum inadæquatum Ordinis, vel quo species panis sunt seorsim Sacramentum Corporis, & species vini seorsim Sacramentum Sanguinis, quæ etiam seorsim causent speciales gratias sibi respondentes, quidquid in contrarium pugnet *Dicast. de extrema Unctione dub. 3.*

532. *Inst.* Si sumptioni ultimæ partis non respondet causatio ullius gratiæ, ergo qui partem primam sumpserit dignè, & postea mortaliter peccaret, sumeretque reliquas indignè, non peccaret mortaliter, quia non poneret obicem gratiæ, utpote jam antecedenter causatæ. *Be. cum Lugo d. 12. n. 62. negando seq.*, nam etiam pars ultima debet esse, & secundum se est, independenter à prima, verum signum gratiæ, quamvis hanc actu causare non debeat, nisi sub conditione, quod prior pars non causarit; sic autem indignè sumens hanc ultimam partem, falsificaret illud signum, quia falsum esset illam partem causaturam fuisse gratiam, si pars prior non causasset, fuisset enim impedita per peccatum mortale, quod supervenisset.

Q. 105. Quid præterea notandum sit circa præceptum confitendi mortalia ante Communionem. *R.* *533.*
 seqq.

§. 1. Ut hoc præceptum non obliget, duo debent concurrere, nempe ut desit copia Confessarii, & adsit necessitas communicandi; unde si adsit Confessarius, per se loquendo, est obligatio confitendi, aut si desit Confessarius, & non sit necessitas communicandi, non est licitum communicare sine prævia Confessione.

§. 2. Satis est adesse aliquem Confessarium, *534.* quamvis non adsit, quem velles, vel tuus ordinarius, uti satis certum est contra aliquos apud *Mendo* *diff. 11. q. 1. à n. 8.* Dicunt autem *Gob. t. 3. n. 431. & t. 4. n. 242. Marchant. in Ref. Past. de Sacram. t. 4. c. 2. q. 1.* tunc deesse copiam omnis Confessarii, si quis deberet ire ad duas horas, & per totidem redire: aliqui cum *Rhodes* ponunt unam integram leucam; *Canus* putavit absolute sufficere quinque quadrantes; sed *Aversa* *q. 8. l. 6.* §. *Deinde. & Dicast. d. 9. n. 104.* cum communi melius dicunt, hoc metiendum esse ex circumstantiis, ideóque regulam generalem esse, quando distantia tanta est, ut ob difficultatem itineris, vel brevitatem temporis, vel necessaria negotia, vel periculum scandali aut infamiae, iudicio prudentis non possit adire Confessarium sine magno incommodo, tum non esse copiam Confessarii.

§. 3. Necessitas communicandi est in casibus *635.* à *Busenb. n. 511.* recensitis; quibus addit *Gob. t. 7. n. 382.*, si diu abstinendum esset à Communionem & Confessione, non tamen si tantum brevi tempore: Item si Confessio deberet esse lon-

ga, & non posset perfici, nec omitti Communio sine infamia vel scandalo, *Aversa* §. *Posset*. Putatque *Gran.* poenitentem posse tum dimidiatâ Confessione absolvi, cum onere postea profequendi totam, quod verum est saltem de infirmo periclitante de morte; si tamen non esset periculum mortis, *Zambr.* dicit tum solam contritionem præmittendam, & potius totam Confessionem differendam, quàm dimidiandam, quas omnes sententias *Tamb. de Commun. c. 1. à n. 36.* vocat probabiles. Notant tamen omnes communiter, onus Capellaniz non esse necessitatem sufficientem, quia obligatio celebrandi censetur suscepta, quantum fieri potest cum debita decencia. Nec sufficit paupertas egentis Sacerdotis, nisi esset valde gravis: Nec observatio voti, & probabiliter etiam nullius præcepti humani, quia hæc non obligant, quando est moralis impossibilitas implendi debite & legitime, *Lugo n. 117. Tamb. n. 43.*

536. §. 4. Ad necessitatem hinc ratione scandali vel infamiz, requiritur prudens metus, non cuiuscunque scandali vel infamiz, sed scandali gravis vel infamiz notabilis. *S. Thom. Suar. Præpos. Gob. x. 4 n. 256.* Hinc non sufficit, quod sis habendus minus devotus quàm alii, aut quod alii in genere mirabuntur. Putant tamen aliqui apud *Dian. p. 9. t. 3. R. 20.* sufficere metum admirationis in populo, eò quod hæc non soleat esse sine suspicionem peccati, sed DD. communiter sentiunt contrarium, teste *Dian.* Hinc limitant & dicunt *Suar. & Gob.* tunc sufficere, quando timetur, ne ex illa admiratione leves homines accipiant occasionem temerè iudicandi & detrahendi. *Nec*

obstat

obstat, quod opponit Lugo n. 118., nempe etiam occasionem dari sic judicandi, si confiteretur, neque tamen excusari à Confessione; nam contra est, quod omnes sciant Sacerdotem saepe confiteri, quamvis mortalia non habeat, ergo ex Confessione non ita suspicaretur populus, ad esse mortale. Addunt Authores communiter, inter cætera etiam hoc consilium, ut qui est in mortali, nec potest confiteri vel conteri, comedat aut bibat aliquid corâ aliis, quasi per inadvertentiam, sicque se excuset ob defectum jejunii, & quamvis fortè nascatur levis suspicio mali statûs, hæc non est tanti facienda, debetque hoc attribuere suæ malitiæ & impœnitentiæ.

§. 5. Peccat, qui in Paschate indignè communicat, ne infamiam subeat, deberet enim se 537.
disponere per contritionem & Confessionem, aut posset aliter declinare infamiam. Gob. post n. 257.

§. 6. Etiam excommunicato licitum est in necessitate communicare, uti contra Sot. Syl. Rossl. & alios docent Suar. Vasq. Lugo à n. 99. Tamb. n. 26. & 44. Dicast. n. 80. & iterum à n. 126. Si enim hoc possit peccator; potest excommunicatus, cum hic præcepto tantum humano, ille divino prohibeatur; neque præcepta humane vel censuræ obligant in tanta necessitate & cum tanto damno. Notant autem Suar. & Sanch. contra Vasq. talem excommunicatum, si habeat reservata, posse, imò Lugo & Dicast. dicunt debere, si potest, confiteri non reservata, & absolvi etiam à reservatis indirectè: quod etiam valet de suspensio & irregulari.

§. 7. Qui confessus est, sed inculpabiliter 539.

omisit mortale, tenetur hoc confiteri, antequam communicet, uti habet communissima cum Lugo n. 126. & Dicast. à n. 20. & 21. ; neque opposita videtur tuta in praxi, quamvis illam aliqui teneant, alii probabilem judicent cum Honorat. Fabri in Apolog. t. 1. pag. 384. , & malè pro hac citatur Regin. , uti ostendit Moya t. 4. q. 5. , item malè citatur Præpos. , uti ostendit Gob. à n. 243. Rationes autem communiter afferri solitæ pro hac ultima sententia nihil evincunt, uti ostendunt Lugo, Dicast. Sylv. p. 2. V. Confessio, cas. 3. , ideoque Arr. d. 46. n. 27. dicit absolute defendi non posse, Moya n. 9. vocat improbabilem : hinc sententia nostra probatur, tum quia talis est praxis & sensus omnium fidelium, tum utiam quia non tantum est præceptum confitendi mortalia ante Communionem, sed etiam confitendi omnia mortalia.

540. §. 8. Si quis confessus sit mortale tanquam dubium, & ante Communionem agnoscat esse certum, probabilius est cum Dian. p. 9. t. 3. R. 6. & Schild. de Conf. t. 6. n. 25. debere iterum confiteri tanquam certum, priusquam communicet, quia necdum est confessus, uti illius est sibi conscius : Alii tamen cum Henriq. Caram. & Leand. dicunt non teneri, quod Gob. n. 214. dicit esse probabiliter tutum in conscientia, Pelliz. & Tamb. apud Dian. supra dicunt esse probabile, quia ab illo peccato ut dubio directe est absolutus, nec apparet necessitas petendi ante Communionem absolutionem alteram directam ab illo tanquam certo, esto in proxima Confessione ad hoc teneatur, uti dicitur de Pœnitentia.

541. *Obi* Apostolus tantum promulgat præceptum

ptum probandi se, atqui probare se non est confiteri, sed tantum est se examinare, uti docent SS. PP. S. Thom. apud Bosco f. 10. n. 16., ergo. R. Apostolus vult examen, sed tale, ut si reperit se innocentem, sufficiat examen; si autem agnoscat se nocentem, confiteatur, quia nondum probatus est eâ probatione, quam ecclesiastica consuetudo declarat esse necessariam, quæ est, ut homo iudicet se non habere mortale, quod non sit confessus, uti ex Trident. constat, cuius verba referam n. 541.

§. 9. Si quis non potens recedere à scamno 542.
communicantium, recordetur mortalis, non quidem confessi, sed commissi aut ultimam contritionem vel absolutionem, pro qua dolorem universalem habuerat, potest communicare sine novo dolore, quia est in gratia, & tantum tenebitur suo tempore peccatum illud directe subijcere clavibus. Lugo n. 122. Dicast. d. 9. dub. 1. Gob. n. 255.

Q. 106. Quid addendum sit circa Sacerdotem, qui 543.
necessitate urgente absque prævia Confessione celebravit. R. seqq.

§. 1. Trident. Sess. 13. c. 7. sic habet, Communicare volenti revocandum est in memoriam Apostoli præceptum, probet autem seipsum homo: ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia Confessarii: quod si necessi-

tate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. His autem verbis non proponi tantum consilium, sed esse præceptum, declaravit Alex VII. damnans hanc prop. 38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium non præceptum. Est itaque præceptum ecclesiasticum, uti habet communis cum Lugo d. 14. f. 7. Dicast. d. 9. n. 14. Obligat tamen sub mortali, tum quia Confessio est de se materia gravis præcepti, & multum facit ad reverentiam hujus Sacramenti, tum etiam, quia obligatio levis non solet tam seridè & reflexè inculcari. Gob. t. 3. n. 438. Quia tamen latum est à Trid., ubi hoc Concilium non est receptum, ibi non obligat illud præceptum.

544. §. 2. Si Sacerdos non celebrans communicavit in mortali, non tenetur postea quamprimum confiteri, sed satis est, si confiteatur, quando volet iterum communicare; quia Trid. loquitur de Sacerdote celebrante; & cum materia sit odiosa, non debet extendi; ita præter citatos à Busenb. Marchant. Dicast. Aversa q. 8. f. 7. §. Nonò.

545. §. 3. Tò, quamprimum. explicari non debet, quamprimum talis Sacerdos volet iterum celebrare, ista enim obligatio antecedenter erat, & Trid. imposuit novam, quæ non erat: Nec obstat, quòd fortè sit praxis contraria apud quosdam Sacerdotes in Germania, uti testatur Gob. t. 3. n. 438. Nam praxin illam reprobatur, partim S. Congreg. declarans teneri quamprimum, id est, tertio saltem die post illam Missam sine Confessione

sione peractam, quod etiam plures tenent apud
 Leandrum n. 390.; partim Alexander VII. damnans
 hanc prop. 37. Illa particula, quamprimum, intel-
 ligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur. Addit
 rectè Lugo n. 162. fieri posse, ut eadem die obli-
 getur, si nempe prævideat, se intra triduum de-
 bere celebrare, & post hanc diem non habiturum
 copiam Confessarii; sed rectè notat Dicast. n.
 173. istam obligationem hodie confitendi po-
 tius nasci ex præcepto divino confitendi omnia
 mortalia ante Communionem.

§. 4. Docent Suar. Vasq. Sayr. Marchant. 546.
 Nugn. Lugo n. 150. Dian. p. 2. t. 14. R. 61. Dicast.
 n. 155. Aversa §. Quinto. Jo. Sanch. d. 31. n. 12.
 Gob. n. 440. Pelliz. De Regular. t. 6. c. 1. n. 69.
 Leander n. 385., & in hoc conveniunt ferè omnes,
 inquit Moya t. 4. q. 6. §. 1. citans valde multos,
 quòd Sacerdos non teneatur hoc præcepto, si
 habens copiam Confessarii non sit confessus ex
 malitia, quia licèt gravius peccet, tamen in præ-
 ceptis positivis non valet argumentum à minori
 ad majus, vel ad simile, uti cum communi Lugo
 in Resp. Mor. l. 4. dub. 47. n. 5.; Trid. autem
 tantùm loquitur de eo, qui necessitate urgente
 celebravit sinè Confessione prævia, sed si fue-
 rit copia Confessarii, non fuit necessitasurgens
 celebrandi absque Confessione prævia, ergo
 nec tum tenebitur ad confitendum quampri-
 mùm. Hæc sententia est probabilis, sed Sylvius
 & alii, etiam probabiliter contradicunt, quia
 Trid. non supposuit tantam fore malitiam Sa-
 cerdotis; quæ si adsit, mens ejus videtur fuisse,
 ut saltem statim post Missam obligationi satisfa-
 ceret; unde etiam secundùm Gob. & alios multò

magis tenebitur quamprimùm confiteri, qui celebravit carens Confessario, & ita dispositus, ut quamvis adfuisset Confessarius, tamen noluisset confiteri, hic enim re ipsa in defectu Confessarii, urgente necessitate celebravit. Item ille tenebitur, qui habens copiam Confessarii celebravit etiam omittâ contritione, uti rectè *Lugo* suprâ *Amic. d. 26. n. 33.*, quamvis *Dicast. n. 156.* etiam hic subdubitet, si non celebrârit ex necessitate sed pura malitia.

547. §. 5. Si Sacerdos confessus est, sed oblitus fuit mortale, quod occurrerat memoriæ ante celebrationem, neque tamen potuit iterum confiteri, tenebitur statim post confiteri, quia celebravit sibi conscius mortalis, sinè prævia illius Confessione, *Lugo n. 151. Dicast. à n. 160. Aversa §. Octavo. Pelliz. suprâ. Leander n. 389.* dicens esse certissimum. Et idem est, si omiserit peccata reservata, *Pelliz.* Econtrâ, si præmissâ Confessione celebrârit immemor alicujus mortalis, quod tamen commiserat, probabile est cum *Marchant.* non teneri statim post confiteri, quia non celebravit absque prævia Confessione, sibi conscius peccati mortalis; ex quo inferunt *Marchant. Gob. Dicast. n. 150. contra Præpos.*, quamvis non præmississet Confessionem, si tamen celebravit immemor mortalis, etiam non teneri, etiamsi in Missa post Communionem recorderetur mortalis, uti habent *Bonac. & Avers. §. Sexto. Leander n. 385.* quia *Trid.* prius dixerat, ut nemo conscius peccati mortalis accederet, ergo quando addit, quod si Sacerdos celebraverit, videtur innuere, si celebraverit conscius peccati mortalis, & absque prævia Confessione, ergo si non fuerit con-

consciis, non tenebitur statim post confiteri. Ex quo infert *Moya* n. 5. idem esse, quamvis Sacerdos ex negligentia graviter culpabili non agnovisset suum peccatum, quia reipsa tunc adhuc non celebrat, conscius sibi peccati mortalis.

§ 6. Plerique cum *Gob.* supra docent, Sacerdorem teneri illo præcepto, si ante consecrationem, vel etiam prius ante Communionem committat aut recorderetur peccati mortalis, tum enim esturgens necessitas celebrandi sine prævia Confessione, neque tum adest copia Confessarii; sed contradicunt alii cum *Pelliz.* n. 70., quia Rubrica de illo, qui ante Missam, dicit, ut conteratur, & statim post confiteatur: de illo autem, qui intra Missam, tantum dicit, ut conteratur. Putant etiam *Vasq. Sayr. Sylv. Moya* supra, *Dian.* p. 2. t. 14. R. 61., & defendi posse dicit *Aversa* §. Septimo, si Sacerdos ante Missam omittat confiteri, non quia desit copia Confessarii, sed quia timet infamiam vel scandalum, non teneri illo præcepto, tum quia non omisit confiteri propter defectum Confessarii, quod *Trident.* videtur requirere, tum præcipue, quia ibi non omisit præviam Confessionem, cum præviè ante Missam non habuerit conscientiam peccati, & hanc sententiam probabilem esse dicunt *Lugo* n. 140. *Diast.* à n. 151.

§. 7. *Dian. Lugo, Amic Pelliz. Leander* n. 385. 549. *J. Sanch.* d. 31. n. 13. *Aversa* §. Nonò, dicunt etiam illum teneri præcepto, qui die Veneris sancto celebrans officium, communicavit sine Confessione peccati mortalis, quia, quamvis non consecret, tamen communicat sacerdotaliter: Idem dicunt cum *Suar. Vasq. & aliis*, si post
con-

consecrationem compleat Sacrificium alterius Sacerdotis deficientis : Rectè tamen notat *Dicast.* à n. 157. ista non esse adeo certa , cùm enim hæc materia sit odiosa , posset aliquis dicere *Trident.* intelligi debere in rigore de illo , qui verè ipsemet celebrat Missam , id est , consecrat & communicat.

ARTICULUS II.

Quæ requiratur dispositio corporis.

550. **R** Esp. I. Nulla corporis macula per se impedit susceptionem Eucharistiæ, cùm parùm
 » faciat ad bonitatem vel malitiam moralem;
 » potest tamen aliquando per accidens impedire,
 » propter affectus secutos. Ita *commun.* Unde re-
 » solves
- » I. Non impedit pollutio involuntaria, imò
 » nec voluntaria per poenitentiam expiata, nisi
 » effectum malignum, v. g. turpem recordatio-
 » nem ac delectationem, vel distractionem &
 » perturbationem animi relinquat: eo enim ca-
 » su, uti & semper, post culpabilem, præstat, ac
 » secundùm sententiam communem, sub venia-
 » li debet differri, nisi aliud suadeat justa aliqua
 » causa, v. g. magnus fructus festivitatis, regula
 » Ordinis; vel si à demone excitata putetur, ad
 » Communionis frequentiam impediendam,
 » *Sanch. l. 9. de Matr. d. 13. Bonac. d. 4. q. 6. p. 2.*
 » *Lug. d. 15 f. 1.*
- » II. Neque actus conjugalis impedit; etsi de-
 » cens & consilii sit, abstinuisse saltem nocte pro-
 » ximè antecedente, si raro communice. Ita *Fill.*
 »